

*De votis solemnibus Populi Romani pro salute  
Imperator. inprimis Acquisti Caligulae et  
Trajani.*

DIEM NATALEM  
TRICESIMUM QUINTUM  
FELICISSIMUM

# REGNI BORVSSIACI

DIE XVIII. IANVARI  
DIE MARTIS FVTURO  
AB HORA IX. ANTEMERID.

IN

ILLVSTRI COLLEGIO GROENINGIANO

SOLENNIBVS VOTIS  
RITE CELEBRANDVM  
INDICIT

## M. DANIEL GODOFREDVS WERNER

ILLVSTRIS COLLEG. GROENINGIANI RECTOR ET PROFESSOR  
REGIVS

STARGARDIAE

TYPIS IOHANNIS TILLERI, TYPOGR. REG.





Q. B. F. F. Q. S.



Anta in suos principes, quorum saluti tutelam suam atque securitatem innisam videbant, pietate romani certarunt, vt nil religionis omittent, qua pro illorum incolunitate deos venerarent. Ex voto pro salute OCTAVIANI, quem *Romulum, patriae parentem, conditoremque alterum vrbis* coluerunt, cui sanctius reuerentiusque nomen AVGVSTI indiderunt, omnes ordines in lacum Curtii quotannis stipem iaciebant. (a) Lacus curtius in medio foro romano erat, cuius nominis rationem triplicem triceps apud VARRONEM (b) suppeditat historia, ex tribus diuersis auctoribus relata, PORCILIO nempe, PISONE et CORNELIO STILONE. A PORCILIO traditum, in eo loco dehisse terram et id ex S. C. ad haruspices relatum, esse responsum, Deum Manium postulationem postulare, id est, cuiem fortissimum eodem mitti: tum quandam Curtium, virum fortem, armatum ascendisse in equum et à concordia versum, cum equo in eum praecipitatum: eo facto locum coisse atque eius corpus diuinitus humasse et reliquisse genti suae monumentum. Quod suo consensu adprobavit LIVIVS (c) reiecta eorum sententia, qui ab antiquo illo T. Tatii milite, Curtio Metto, lacum curtium appellatum existimarunt: quam tamen PISO in annalibus suis scripsit: Sabino nempe bello, quod fuit Romulo et Tatío, virum fortissimum, Curtium Mettum Sabinum, quem Romulus cum suis ex superiore parte impressionem fecisset, in locum palustrem, qui tum fuit in foro, antequam cloacae sint factae, secessisse atque ad fuos in Capitolium recepisse, et ab eo lacum inuenisse nomen. Cui narrationi suum calculum adiecit graecus antiquitatum romanarum scriptor, DIONYSIVS HALICARNASSENSIS (d). CORNELIVS vero et LVGEIVS memoriae prodiderunt, eum locum esse fulguratum et ex S. C. septum, idque factum à Curtio COS. cui M. Genucius fuit collega, atque ab eo Curtium appellatum.

Licet in tanto vetustatis dissensu nobis incerta sit huius loci eiusque nominis origo: omnes tamen in id conspirant, hanc regionem fori sacram fuisse ac superstitiose cultam. *Voraginem sacratam*, vocat STATIVS, (e) *famosissimamque lacum* et LIVIVS dona frugesque à multitudine virorum ac mulierum eo congestas refert, et SVETONIVS, ordines omnes in lacum istum stipem iecisse, memorat. Dicebant vero veteres *aes* quoque *stipem*, vt VARRO testatur, (f) et SEXTVS POMPEIVS, (g) *stipem* esse numum signatum, in testimonium profert, quod datur in stipendium militi, et cum spondetur pecunia, quod stipulari dicitur. Eodem VARRONE teste, diis cum in thesauros asses darent, *stipem* dicebant. Solebant itaque *stipem iacere* in loca hominum opinione sacra, vt lacus, fontes, quos venerabantur. (h) Hinc PLINIVS iunior, quem fontem Clitumnum, qui et ipse Deus celebrabatur, describit, *eluctatus*, inquit, *facit gurgitem, qui lato gremio patescit purus et ditrens ut numerare IACTAS STIPES et relucentes calculos possis.* (i)

Tam sancte vero lacum curtium colebant pro salute AVGVSTI ordines, vt placarent deum Manium, Plutonem, ad cuius regnum per voraginem istam aditum patuisse opinati sunt, adeo, vt praeceteris multitudini fabula placuisse videatur, quam supra primo loco posuimus de vasto in media parte fori romani et repentino hiatu, in quem equo, quam

po-

(a) SVETON. in Aug. c. 57. (b) De Lingua lat. lib. V. col. 1039. ad Perotti cornu copiae. (c) Lib. VII. c. 6. (d) pag. 108. (e) Sylv. I. 1. 66. et 67. (f) Col. 1042. (g) Col. 1167. (h) CASAVBONVS ad Sueton. l. c. (i) VIII. 3. 2.

poterat, maxime exornato insidens Curtius, armatum se immisit. Id quod etiam LIVIVS fati inuit huic historiae subiungens: *Cura non deesse, si qua ad verum via inquirentem in-ferret, nunc fama rerum standum est, ubi certum derogat veritas fidem et lacus nomen ab hac recentiore insignitus est fabula.* Quod vero supplicare Plutoni pro vita consueverint, ex illo HORATII (k) discimus,

*Eheu! fugaces, Postume, Postume,  
labuntur anni, nec pietas moram  
rugas et instanti senectae  
afferet, indomitaeque morti.  
Non, si trecentis, quotquot eant dies,  
amice, places illachrymabilem  
Plutona tauris, qui ter amplum  
Geryonem Tityonque tristi  
compefcit vnda scilicet omnibus,  
quicunque terrae munere vescimur,  
enaniganda, siue reges  
siue inopes erimus coloni.*

CICERO quidem, quod sua aetate sustulerint è religione romani stipem, testatur, (l) nisi eam, quam ad paucos dies propriam Idaeae Matris exceperunt. Implebat enim super-stitutione animos et exhauriebat domos. Sed ordines subsequenti Augusti aetate instaurasse illam videntur, ad restificandum, nil sibi tam pretiosum esse, quin pro illius salute abicere malint.

Atque eadem de causa Kalendis Ianuariis stremam in capitolio etiam absentem dabant. Ex qua summa pretiosissima deorum simulacra mercatum vicatim dedicabat. (m) Stremam vero, inquit SEXTVS POMPEIVS, (n) vocamus, quae datur die religiofo, boni omnis gratia, à numero, quo significatur alterum tertiumque venturum similis commodi, veluti *Trenam*, praeposita S. litera, vt in *lavo* et *lit* solebant antiqui. Quare strema oblata voti sui summam contineri volebant ordines, vt AVGVSTO incolumi felix faustusque dies ille ite-rum iterumque redeat. Inualuit etiam postea mos, vt ineunte anno pro Caesarem salute vota publica nuncuparentur. Quemadmodum iam ante haec pro Pompeii salute, cum in Campania aduersa valetudine laboraret, vota ab vniuersa Italia suscepta fuerunt, quod post hominum memoriam nunquam antea factum. (o) Nullius tamen romanis magis curae cordique fuit salus quam AVGVSTI. Hinc medico, Antonio Musae, cuius opera ex accipi-ti morbo ipse conualuerat, statuat aere collato, iuxta signum Aesculapii statuerunt. Nonnulli patrum familiarum testamento cauerant, vt ab haeredibus suis victimae praelato titulo in capitolium ducerentur votumque pro se solueretur, QVOD SVPERSTITEM AVGVSTVM RELIQUISSENT. (p) Vt iam taceam, equites romanos natalem eius sponte atque consensu biduo semper celebrasse. (q) Erat itaque in summis AVGVSTI laudibus positus tam mutus inter ipsum et populum amor, vt merito dubitatum fit, ipsumne populus an populum magis ipse saluum esse voluerit, quod ostendit HORA-TIUS. (r)

*Si quis bella tibi terra pugnata marique  
Dicat et his verbis vacuas permulceat aures,  
Tene magis saluum populus velit, an populus Te,  
Seruet in ambiguo, qui consultat et tibi et vrbis  
Iupiter: Augusti laudes agnoscere possis?*

Immensus erat etiam ciuium amor in CAIVM CAESAREM initio imperii, quod ex-optatissimus princeps non solum maxime parti prouincialium et militum sed et vniuersae plebi vrbanae adeptus erat. Vt enim in aduersam valetudinem incidit, pernoctantibus cunctis circa palatium, non defuerunt, qui depugnatos se armis pro salute aegri, quique capita sua titulo proposito vouerunt. (s)

Qua demum religione solennia vota pro TRAIANI optimi principis salute atque in-columitate commilitones et prouinciales in Bithynia, praeunte PLINIO, soluerint et nun-cuparint, ex huius ad laudatum Caesarem epistolis satis constat. Quibus sacer festusque erat tam natalis illius, quam dies, quo imperium susceperat. Eadem vota praeiuit Plinius Consul omnibus ciuibus in suo panegyrico. Vbi, cum nullum praestabilis nec pulcrius munus deorum praedicaasset, quam castum, sanctum et diis simillimum principem, qua-lem celebrauerat NERVAM TRAIANVM AVGVSTVM; ipse consul precatus est Iouem capitolinum, vt beneficiis suis faueat tantisque muneribus addat perpetuitatem, subiiciens: (t)

Non

(k) Carmen. II. 14. (l) Leg. II. 16. (m) Suet. l. c. (n) c. 1170. (o) Vide Barnabam Brissonium de Formulis lib. I. p. 100. (p) Sueton. in Aug. c. 59. (q) Sueton. in Aug. c. 57. (r) Epistol. I. 16, ad Quinctium c. m. Torreat. ad Suet. c. 59. (s) Sueton. in Calig. c. 14. (t) Panegyri. c. 94.

FX No 1464

X 2945055

*Non te distringimus votis, non enim pacem, non concordiam, non securitatem, non opes oramus, non honores, simplex cunctaque ista complexum unum omnium votum est SALVS PRINCIPIS.*

Non cedimus romanis pietate in principem, quamvis longissime abesse velimus ab eorum superstitione ac vanitate. Summum enim verum DEVM, dominum dominorum et regem regum, agnoscimus et colimus, cuius diuinum munus est optimus princeps. Ille solus est, a quo pendet Principis salus, qua communis omnium continetur. Illum solum adorare, illi supplicare, illi pia eaque legitima vota et sanctae ipsius voluntati congrua nuncupare, illum precibus placare, illi laudes gratesque agere debemus. Abhorret christiana religio à desultandis pariter et ridendis istis sacris; quae potius profana et impia vocari merentur. Irridemus luridum istum et detestabilem deum manium, quem merito vocat HORATIVS illachrymabilem nec vel trecentis tauris quidem placabilem: quia sine mente, sine sensu est, nullam adspicit lacrymam et misereri nescit. Absunt à nobis procul ridiculi atque profusi ritus; absunt victimae caesae; abominamur solidam capitis deuotionem: Quid nobis denique cum impotente Ioue, cum inani simulacro et ficta imagine? friuola et futilia delirorum hominum commenta odimus et execramur.

Tanta contra certiori spe atque fiducia nitimur, fore vt DEVS noster verus et viuus precibus nostris, quas pro salute Principis fundimus, annuat nosque votorum compotes faciat: quo sanctius, iustius et salutarius est illius mandatum, vt sibi offeramus deprecationem malorum, votum honorum, posulationem et gratiarum actionem pro REGIBVS ET PRINCIPIBVS, vt tranquillam et quietam vitam degamus in omni timore Dei et honestate. (u)

Pietas ergo tam in summum Numen quam in SERENISSIMVM ET POTENTISSIMVM PRINCIPEM AC DOMINVM, DOMINVM FRIDERICVM WILHELMVM, REGEM BORVSSIAE AVGVSTISSIMVM ET RELIQA, DOMINVM ET PRINCIPEM NOSTRVM LONGE CLEMENTISSIMVM, ad solennia vota nos excitat, appetente iam TRICESIMO QVINTO NATALI FELICISSIMO REGNI BORVSSIAE, quem in illustri Collegio nostro Groeningiano debita religione, futuro die Martis, die XVIII. Ianuarii, ab hora IX. antemeridiana celebrabimus.

Commendabunt enim DEO, tanti regni et AVGVSTISSIMI REGIS salutis auctori et vota publica et gaudia tres ex ordine ciuium nostrorum iuuenes bonae indolis et spei, orationibus proprio studio elaboratis iisque memoriter habendis.

Primus cathedram ascendet

IOHANNES DAVID FLESCH,

*Stargardia-Pomeranus,*

dignus academiae candidatus, qui vt modestae et humanae vitae exemplum omnibus suis commilitonibus praeiuit: ita duobus suis publicae pietatis sociis viam muneris, quo ante biennium iam feliciter functus est, monstrabit oratione gallica, de praesenti felicitate omnium prouinciarum SERENISSIMI REGIS BORVSSIAE imperio atque iuratae subiectarum.

Hunc sequetur

CHRISTIANVS FRIDERICVS SADEWASSER,

*Zachanensis-Pomeranus,*

oratione latina, qua LONGE CLEMENTISSIMVM REGEM ET DOMINVM NOSTRVM cum Nerua Traiano Augusto, optimo principe, submisit comparabit.

Quem denique excipiet

CHRISTIANVS ERNESTVS LISCOW,

*Stargardia-Pomeranus,*

oratione germanica, qua de longa et felici vita omnium oriundorum ex stirpe Zollerana SERENISSIMORVM ELECTORVM BRANDEVRGICORVM ET REGIS BORVSSIAE differet, et ex ea deinde faustum omen et pium votum pro longinquiore aetate SERENISSIMI REGIS NOSTRI, DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI, capiet.

Omnes itaque, qui in summis votis salutem et incolumitatem REGIS NOSTRI SERENISSIMI habent; habent vero omnes; praesertim MAECENATES, PATRONOS, FAVTORES atque AMICOS musarum et collegii nostri tam TOGATOS quam SAGATOS, ea, qua decet obseruantia, inuitatos volo, vt praescripto die et hora in nostro Collegio adsint et sua praesentia hanc solennitatem splendidiorem reddant suaque cum nostris vota coniungant. Cives vero nostros etiam humane rogo et moneo, vt sua frequentia suam pietatem testentur. P. P. Stargardiae ad Ihanam Domin. II. post Epiphantias. MDCCXXXV.

(u) I. Tim, II. I.



MC

Hc  
1464

*De votis solennibus Populi Romani pro salute  
Imperator. imprimis Acquisti Caligulae et  
Trajani.*

DIEM NATALEM  
TRICESIMVM QVINTVM  
FELICISSIMVM  
**REGNI BORVSSIACI**

DIE XVIII. IANVARI  
DIE MARTIS FVTVRO  
AB HORA IX. ANTEMERID.

IN  
ILLVSTRI COLLEGIO GROENINGIANO  
SOLENNIBVS VOTIS  
RITE CELEBRANDVM  
INDICIT

**M. DANIEL GODOFREDVS WERNER**  
ILLVSTRIS COLLEG. GROENINGIANI RECTOR ET PROFESSOR  
REGIVS

STARGARDIAE  
TYPIS IOHANNIS TILLERI, TYPOGR. REG.

